

ARTICULUS IV. 297

Utrum Christus fuerit causa suæ resurrectionis.

Psal. xl. & Joan. 11. & 111. & ad Rom. 1v. fin.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod Christus non fuerit causa suæ resurrectionis. Quicumque enim suscitatur ab alio non est suæ resurrectionis causa. Sed Christus suscitatus est ab alio, secundum illud Act. 11. 24. *Quem Deus suscitavit, solvens doloribus inferni*; & Rom. vii. 11. *Qui suscitavit Jesum Christum à mortuis, vivificavit, & mortalia corpora nostra*. Ergo Christus non est causa suæ resurrectionis.

2. Præterea. Nullus dicitur mereri, qui ab alio petit aliquid, cuius ipse est causa. Sed Christus sua passione meruit resurrectionem, sicut Augustinus dicit super Joan. (tract. civ. sub fin.) quod *humilitas passionis meritum est gloriæ resurrectionis*: ipse etiam petit à Patre se suscitari, secundum illud Psal. xl. 11. *Tu autem Domine, miserere mei, & rescifica me*: Ergo non fuit causa suæ resurrectionis.

3. Præterea. Sicut Damascenus probat in IV. Lib. (orth. Fid. cap. ult.) resurrectio non est animæ, sed corporis, quod per mortem cadit. Corpus autem non potest sibi animam unire, quæ est eo nobilior. Ergo id quod resurrexit in Christo, non potuit esse causa suæ resurrectionis.

Sed contra est, quod Dominus dicit Joan. x. 18. *Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam, & iterum sumo eam*. Sed nihil est aliud resurgere quam iterato animam sumere. Ergo videtur quod Christus propria virtute resurrexit.

Respondet dicendum, quod, sicut supra dictum est (quæst. l. art. 2. & 3.) per mortem non fuit separata Divinitas nec ab anima Christi, nec ab ejus carne. Potest igitur tam anima Christi mortui, quam ejus caro considerari dupliciter: uno modo ratione Divinitatis; alio modo ratione ipsius naturæ creatæ. Secundum igitur unitæ Divinitatis virtutem, & corpus resumpsit animam, quam deposuerat, & anima corpus resumpsit, quod dimiserat: & sic Christus propria virtute resurrexit. Et hoc est quod de Christo dicitur II. ad Cor. ult. 4. *quod est crucifixus est ex infirmitate (a) nostra, sed vivit ex virtute Dei*. Si autem consideremus corpus, & animam Christi mortui secundum virtutem naturæ creatæ, sic non potuerunt sibi invicem reuniri, sed oportuit Christum resuscitari à Deo.

(a) Ita cum vñ. editi omnes. In Vulgata desit nostra.

Ad primum ergo dicendum, quod eadem est divina virtus, & operatio Patris, & Filii: unde hæc duo sese consequuntur, quod Christus sit suscitatus divina virtute Patris, & sui ipsius.

Ad secundum dicendum, quod Christus orando perit, & meruit suam resurrectionem, inquantum homo, non autem inquantum Deus.

Ad tertium dicendum, quod corpus secundum naturam creatam non est potentius anima Christi; est tamen ea potentius secundum virtutem divinam, quæ etiam rursus secundum Divinitatem unitam est potentior corpore secundum naturam creatam. Et ideo secundum virtutem divinam corpus, & anima mutuo se resumpserunt, non autem secundum virtutem naturæ creatæ.

QUÆSTIO LIV.

De qualitate Christi resurgentis

in quatuor articulis divisæ

Einde considerandum est de qualitate Christi resurgentis: & circa hoc quaeruntur quatuor.

Primo, utrum post resurrectionem Christus habuerit verum corpus.

Secundo, utrum resurrexerit cum corporis integritate.

Tertio, utrum corpus ejus fuerit gloriosum.

Quarto de cæcaticibus in corpore ejus apparentibus.

ARTICULUS I. 298

Utrum Christus post resurrectionem habuerit verum corpus.

Inf. art. 3. cœ. & opusc. LX. cap. xxii.

AD primum sic proceditur. Videtur quod Christus post resurrectionem non habuerit verum corpus. Verum enim corpus non potest simul esse cum alio corpore in eodem loco. Sed corpus Christi post resurrectionem fuit simul cum alio corpore in eodem loco: intravit enim ad discipulos suos januis clausis, ut dicitur Joan. xx. Ergo videtur quod Christus post resurrectionem non habuerit verum corpus.

2. Præterea. Verum corpus non evanescit ab aspectu intuentium, nisi forte corrumpatur. Sed corpus Christi evanuit ab oculis discipulorum eum intuentium, ut dicitur Luc. ult. Ergo videtur quod Christus post resurrectionem non habuerit verum corpus.

3. Præ-

3. Præterea. Cujuslibet veri corporis est determinata figura. Sed corpus Christi apparuit discipulis in alia effigie, ut patet Matth. ult. Ergo videtur, quod Christus post resurrectionem non habuerit verum corpus humanum.

Sed contra est quod dicitur, Luc. ult. 37. quod Christo discipulis apparente, *conversati, & conversati existimabant se spiritum videre*, ac si non haberet verum corpus, sed phantasticum; ad quod removendum ipse postea subdit: *Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere*. Non ergo habuit corpus phantasticum, sed verum.

Respondet dicendum, quod, sicut Damascenus dicit in IV. Lib. (orth. Fid. cap. ult. à princ.) *illud resurgere dicitur quod cecidit*. Corpus autem Christi per mortem cecidit, inquantum scilicet fuit ab eo anima separata, quæ erat ejus formalis perfectio. Unde oportuit ad hoc, quod esset vera Christi resurrectio, ut idem corpus Christi iterato eadem animæ uniretur. Et, quia veritas naturæ corporis est ex forma, consequens est quod corpus Christi post resurrectionem, & verum corpus fuerit, & ejusdem naturæ cuius fuerat prius. Si autem ejus corpus fuisset phantasticum, non fuisset vera resurrectio, sed apparens.

Ad primum ergo dicendum, quod corpus Christi post resurrectionem non ex miraculo, sed ex conditione gloriæ, sicut quidam dicunt, clausis januis ad discipulos introivit, simul cum alio corpore in eodem loco existens. Sed utrum hoc habere possit corpus gloriosum ex aliqua proprietate sibi indita, ut simul cum alio corpore in eodem loco existat, inferius discutietur (in Supplem. quæst. lxxxii. art. 4.) ubi agetur de resurrectione communi. Nunc autem quantum ad propositum sufficit, dicendum est, quod non ex natura corporis, sed potius ex virtute Divinitatis unitæ, illud corpus ad discipulos, licet verum esset, januis clausis introivit. Unde Augustinus dicit in quodam sermone paschali (colligitur ex serm. cl. ix. de temp.) quod quidam sic disputant: *Si corpus erat, si hoc surrexit de sepulchro, quod pendit in ligno, quomodo per ossa clausa intrare potuit?* Et respondet: *Si comprehendis modum, non est miraculum, ubi desicci ratio, ibi est fides edificatio*. Et super Joan. (tract. cxxi. à med.) dicit: *Molti corpori, ubi Divinitas erat, ossa clausa non obstitit: ille quippe non eis aperiri intrare potuit, quo nascente virginis matris inviolata permansit*. Et idem dicit Gregorius in quadam homil. de octava Paschæ (xxvi. in Evangel. circ. princ.)

Ad secundum dicendum, quod, sicut dictum est (quæst. præc. art. 3.) Christus resur-

rexit ad immortalem gloriæ vitam. Hæc est autem dispositio corporis gloriosi, ut sit spirituale, id est subiectum spirituali, ut Apostolus dicit I. ad Cor. xv. Ad hoc autem quod fit omnino corpus subiectum spiritui, requiritur quod omnis actio corporis subdati spiritus voluntati. Quod autem aliquid videatur, fit per actionem visibilibus in visum, ut patet per Philosophum in II. de Anima (tex. 73. & 74.) Et ideo quicumque habet corpus gloriosum, in potestate sua habet videri, quando vult, & quando non vult, non videri. Hoc tamen habuit Christus non solum ex conditione corporis gloriosi, sed etiam ex virtute Divinitatis, per quam fieri potest ut etiam corpora non gloriosa miraculose non videantur, sicut prælitum fuit B. Theolomæo miraculose, ut si vellet, videretur, non autem videretur, si non vellet. (a) Dicitur ergo, quod Christus ab oculis discipulorum evanuit, non quia corrumpere, aut resolveretur in aliqua invisibilia; sed quia sua voluntate desit ab eis videri, vel vel eo præsentem, vel etiam eo abscedente velocius per dote agilitatis.

Ad tertium dicendum, quod, sicut Severianus dicit in sermone paschali (id hab. Per. Chrysol. in sermone lxxxii. ad fin.) *nemo potest, Christum sua resurrectione sui vultus efficiens commutasse*. Quod est intelligendum quantum ad lineamenta membrorum: quia nihil inordinatum, & deforme fuerat in corpore Christi per Spiritum Sanctum concepto, quod in resurrectione corrigendum esset. Accepit tamen in resurrectione gloriam claritatis; unde idem ibidem subdit: *Sed mutatur effigies, dum efficitur ex mortali immortalis; ut hoc sit acquisisse vultus gloriam, non vultus substantiam perdidisse*. Nec tamen illis discipulis in specie gloriosa apparuit; sed sicut in potestate ejus erat ut corpus suum videretur, vel non videretur; ita in potestate ejus erat ut ex ejus aspectu formaretur in oculis intuentium vel forma gloriosa, vel non gloriosa, aut etiam mixta, vel qualitercumque se habens. Modica tamen differentia sufficit ad hoc, quod aliquis videatur in aliena effigie apparere.

AR-

(a) Sic in antiquo Predicatorum Rituali, quod anno 1254. quo tempore vivebat, D. Thomas, editum in Conventu Parisiensi S. Jacobi asseratur. Hæc ad marginem Nicolajus. bull. anno 1251.

ebium & potum cum discipulis sumpsit, non alimentorum indigentia, sed ea qua hoc poterat postulare. Ut enim Beda dicit super Lucam (cap. xxvii.) aliter absorber aquam vera sitiens, aliter Solis radius calens; illa indigentia, iste potentia. Manducavit ergo post resurrectionem, non quasi cibo indigens, sed ut eo modo naturam corporis resurgens adstrueret. Et propter hoc non sequitur quod fuerit ejus corpus animale, quod est indigens cibo.

ARTICULUS IV. 301

Utrum corpus Christi debuerit cum cicatricibus resurgere.

III. dist. xxi. quæst. 11. art. 4. quæst. 3. & op. xxi. cap. cxxxvii. & op. xx. cap. xxii.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod corpus Christi non debuerit cum cicatricibus resurgere. Dicitur enim I ad Corinthios xv. 52. quod mortui resurgent incorrupti. Sed & cicatrices, & vulnera ad quamdam corruptionem pertinent, & defectum. Non ergo fuit conveniens ut Christus, qui est resurrectionis auctor, cum cicatricibus resurgeret.

2. Præterea. Corpus Christi integrum resurrexit, sicut dictum est (art. 1. huj. quæst.) Sed apertura vulnerum contrariatur integritati corporis, quia per eas discontinuatur corpus non ergo videtur fuisse conveniens quod in corpore Christi apertura vulnerum remaneret; est remaneret ibi quaedam vulnerum insignia, quæ sufficiebant ad aspectum, ad quem Thomas credidit, cui dictum est: *Quia vidisti me Thomas, credidisti*: Joan. xx. 29.

3. Præterea. Damascenus dicit in IV. Lib. (orth. Fid. cap. xix. ad fin.) quod post resurrectionem de Christo dicitur quaedam vere, que non habuit secundum naturam, sed secundum dispensationem, ad verificandum quod ipsum quod passum est corpus resurrexit, ut cicatrice. Cessante autem causa, cessat effectus. Ergo videtur quod certificatis discipulis de sua resurrectione, cicatrices ulterius non haberet. Sed non conveniebat immutabilitati gloriæ quod aliquid assumeret quod perpetuo in eo non remaneret. Ergo videtur quod non debuerit corpus cum cicatricibus in resurrectione resumere.

Sed contra est quod Dominus dicit Thomæ Joan. xx. 27. *intra digitum tuum huc, & vide manus meas, & asser manum tuam, & mitte in latus meum; & noli esse incredulus, sed fidelis.*

Respondetur dicendum, quod conveniens fuit animam Christi in resurrectione corpus cum cicatricibus resumere. Primo quidem prop-

ter gloriam ipsius Christi. Dicit enim Beda super Lucam (cap. xxi.) secundum ejus ordinem quod non ex impotentia curandi cicatrices servavit, sed ut in perpetuum victoria sua circumferat triumphum. Unde & Augustinus dicit in XXII. de civ. Dei (cap. xx. in princ.) quod forsatis in illo regno in corporibus Martyrum videmus vulnerum cicatrices, que pro Christi nomine perulerunt: non enim deformitas in eis, sed dignitas erit; & quidam, quantum in corpore, non corporis, sed virtutis pulchritudo fulgebunt. Secundo ad confirmandum corda discipulorum circa fidem sua resurrectionis. Tertio ut patri pro nobis supplicans, quale genus mortis pro homine perulerit, semper ostendat. Quarto ut sua morte redemptis, quam misericorditer sint adjuvi, propolis ejusdem mortis incidit, insinuet. Postremo ut in iudicio, quam iuste damnentur, ibidem denuntiet. Unde, sicut Augustinus dicit in Lib. II. de Symbolo (cap. viii. ante med.) *sciebat Christus, quare cicatrices in suo corpore servavit. Sicut enim demonstravit Thomas non credenti, nisi tangeret, & videret; ita etiam inimicis vulnera demonstraturus est sua, ut convincens eos veri ad dicat: Ecce hominem quem crucifixus; videtis vulnera, que infixus; agnoscitis latus, quod pupugisset, quoniam per vos, & propter vos apertum est, nec tamen intrare voluisset.*

Ad primum ergo dicendum, quod cicatrices illæ quæ in corpore Christi permanserunt, non pertinent ad corruptionem, vel defectum, sed ad majorem cumulum gloriæ, in quantum sunt quædam virtutis insignia; & in illis locis vulnerum quidam specialis decor apparebit.

Ad secundum dicendum, quod quamvis illa apertura vulnerum sit cum quadam solutione continuitatis, totum tamen hoc recompenatur per majorem decorem gloriæ, ut corpus non sit minus integrum, sed magis perfectum. Thomas autem non solum vidit, sed etiam vulnera tetigit: quia, ut dicit Leo Papa (vel Augustinus serm. lvi. in appendice de diversis, ante med.) *sufficit ei ad fidem propriam, vidisse quod viderat; sed nobis operatus est, ut tangeret quem viderat.*

Ad tertium dicendum, quod Christus in suo corpore voluit certificans vulnerum remanere, non solum ad certificandum discipulorum fidem, sed etiam propter alias rationes. Ex quibus apparet quod semper in ejus corpore cicatrices illæ remanebunt: quia, ut Augustinus dicit ad Consensum de resurrectione carnis (epist. cv. al. cxlvi. paulo ad princ.) *Domini corpus in celo esse credo, ut erat quando ascendit in celum. Et Gregorius XIV. Moral. cap. xxix. ante med.) dicit, quod si dicitur in Corpore Christi post resurrectionem posuit immutari, contra veridicam Pauli sententiam, post resurrectionem*

nem Dominus vidit in mortem: quod quis dicere vel stultus presumat, nisi qui veram carnis resurrectionem denegat? Unde patet quod cicatrices, quas Christus post resurrectionem in suo corpore ostendit, nunquam postmodum ab illo corpore sunt remote.

QUÆSTIO LV.

De manifestatione resurrectionis, in sex articulis divisa.

Deinde considerandum est de manifestatione resurrectionis Christi: & circa hoc quaeruntur sex.

Primo, utrum Christi resurrectio omnibus manifestari debuerit, an solum quibusdam specialiter perlonis.

Secundo, utrum fuisse conveniens quod eis viventibus resurgeret.

Tercio, utrum post resurrectionem debuerit cum suis discipulis conversari.

Quarto, utrum fuerit conveniens quod suis discipulis in aliena effigie appareret.

Quinto, utrum resurrectionem suam argumentis manifestare debuerit.

Sexto, de sufficientia illorum argumentorum.

ARTICULUS I. 302

Utrum resurrectio Christi debuerit omnibus manifestari.

Sup. quæst. xxxvi. art. 2. cor. & op. 11. cap. cxxxvi. & I. Cor. xv.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod resurrectio Christi debuerit omnibus manifestari. Sicut enim publico peccato debetur poena publica, secundum illud I. Timoth. v. 20. *Peccantes coram omnibus argue*; ita merito publico debetur premium publicum. Sed claritas resurrectionis est premium humilitatis passionis, ut Augustinus dicit super Joan. (tract. civ. cir. fin.) Cum ergo passio Christi fuerit omnibus manifestata, eo publice patiente, videtur quod gloria resurrectionis ipsius omnibus manifestari debuerit.

2. Præterea. Sicut passio Christi ordinatur ad nostram salutem, ita & ejus resurrectio, secundum illud Rom. iv. 25. *Resurrexit propter justificationem nostram.* Sed illud quod ad communem utilitatem pertinet, omnibus debet manifestari. Ergo resurrectio Christi omnibus debuit manifestari, & non specialiter quibusdam.

3. Præterea. Illi quibus manifestata est resurrectio Christi, fuerunt resurrectionis testes: unde dicitur Act. 11. 15. *Quem Deus suscitavit a mortuis, cujus nos testes sumus.* Hoc autem testimonium ferebant publice prædicando: quod quidem non convenit mulieri-

bus, secundum illud I. ad Cor. xiv. 34. *Mulieres in Ecclesiis taceant*: & I. ad Timoth. 11. 12. *Docere mulieri non permittit.* Ergo videtur quod inconveniente resurrectio Christi manifestata fuerit primo mulieribus, quam omnibus communiter.

Sed contra est quod dicitur Act. x. 40. (a) *Quem Deus suscitavit tertio die, & dedit eum manifestum fieri, non uni populo, sed testibus præordinatis à Deo.*

Respondetur dicendum, quod eorum quæ cognoscuntur, quædam cognoscuntur communi lege naturæ, quædam autem cognoscuntur ex speciali munere gratiæ, sicut ea quæ divinitus revelantur: quorum quidem, ut Dionysius dicit in Lib. cal. Hier. (cap. xv. a med.) hæc est lex divinitus instituta, ut à Deo immediate superioribus revelentur, quibus mediatis deferantur ad inferiores, sicut patet in ordinatione celestium spirituum. Ea vero quæ pertinent ad futuram gloriam, communem hominum cognitionem excedunt, secundum illud Isa. lxiv. 4. *Oculus non vidit, Deus, absque te, que preparasti expectantibus te.* Et ideo inujmodi ab homine non cognoscuntur, nisi divinitus revelentur, sicut Apollolus dicit I. ad Cor. 11. 10. *Nobis revelavit Deus per spiritum suum.* Quia igitur Christus resurrexit gloriola resurrectione, ideo ejus resurrectio non omni populo manifestata est, sed quibusdam, quorum testimonio deferretur in aliorum notitiam.

Ad primum ergo dicendum, quod passio Christi perfecta est in corpore adhuc habente naturam passibilem, que communi lege notæ est omnibus; & ideo passio Christi omni populo immediate manifestari potuit. Resurrectio autem Christi facta est post gloriosam passionem, ut Apollolus dicit Rom. v. 10. *Et ideo immediate manifestata est, non omnibus, sed quibusdam.* Quod autem publice peccantibus poena publica imponitur, intelligendum est de poena præsentis vite: & similiter publica merita publice premiari oportet, ut alii provocentur. Sed poena, & premia futura vite non publice omnibus manifestantur, sed specialiter illis qui ad hoc præordinati sunt à Deo.

Ad secundum dicendum, quod resurrectio Christi facta est ad communem omnium salutem, ita in notitiam omnium pervenit, non quidem sic quod immediate omnibus manifestaretur, sed quibusdam, per quorum testimonium deferretur ad omnes.

Ad tertium dicendum, quod mulieri non permittitur publice docere in Ecclesia: permittitur autem ei privatim aliquos domesticos admonitione instruere. Et ideo, sicut Ambrosius dicit sup. Luc. (sup. illud. cap. xv. *Mulieres ex vestris ad eos semina mittitur qui dormientes*

sunt; non autem mittitur ad hoc quod resurrectionis testimonium ferat ad populum. Ideo autem primo mulieribus apparuit, ut mulier, quæ primo nuntium mortis ad hominem detulit, primo etiam vitam resurgentis Christi in gloria nuntiaret. Unde Cyrillus dicit (Lib. XII. in Joan. sup. illud cap. xx. *Vade ad fratres &c.*), "Fœmina, quæ quondam mortis fuit ministra, venerandum resurrectionis mysterium prima percipit, & nuntiat. Adeptum est igitur fœmineum genus & ignominie abolitionem, & maledictionis repudium." Similiter etiam per hoc ostenditur quod, quantum ad statum gloriæ pertinet, nullum detrimentum patitur fœmineus sexus; sed si majori caritate servabunt, majori etiam gloria ex visione divina porientur; eo quod mulieres, quæ Dominum arctius amaverunt, intantum ut ab ejus sepulchro discipulis etiam recedentibus non recederent, primo viderunt Dominum in gloria resurgentem.

ARTICULUS II. 303

Virum fuisse convenientem quod discipuli viderent Christum resurgere.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod convenienter fuisse quod discipuli viderent Christum resurgere. Ad discipulos enim pertinebat resurrectionem Christi testificari, secundum illud Act. iv. 33. *Virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Jesu Christi Domini nostri.* Sed certissimum est testimonium de visu. Ergo convenienter fuisse ut ipsam resurrectionem Christi viderent.

2. Præterea. Ad certitudinem fidei habendam discipuli ascensionem Christi viderunt, secundum illud Act. 1. 9. *Videntibus illis elevatus est.* Sed similiter oportet de resurrectione Christi certam fidem habere. Ergo videtur quod discipulis videntibus debuerit Christus resurgere.

3. Præterea. Resurrectio Lazari quoddam indicium fuit futuræ resurrectionis Christi. Sed discipulis videntibus Dominus Lazarum suscitavit. Ergo videtur quod etiam Christus resurgere debuerit discipulis videntibus.

Sed contra est quod dicitur Marci ult. 9. *Resurgens Dominus mane prima subitari, apparuit primo Mariæ Magdalene.* Sed Mariæ Magdalene non vidit eum resurgere; sed cum eum quaereret in sepulchro, audivit ab Angelo: *Surrexit, non est hic.* Ergo nullus vidit eum resurgere.

Respondetur dicendum, quod, sicut dicit Apostolus Rom. xii. 1. *que à Deo sunt, ordinata sunt.* Est autem hic ordo divinitus institutus ut ea quæ supra homines sunt, homini-

(a) *Vulgata.* autem.

bus per Angelos revelentur, ut patet per Dionysium iv. cap. cæli. Hier. (à med.) Christus autem resurgens non rediit ad vitam communiter hominibus notam, sed ad vitam quandam immortalem; & Deo conformem, secundum illud Roman. vi. 10. *Quod (a) enim vivit, vivit Deo.* Et ideo ipsa Christi resurrectio non debuit immediate ab hominibus videri, sed eis ab Angelis nuntiari. Unde Hilarius dicit super Matth. (cap. ult. in fin.) quod *ideo Angelus prior resurrectionis est index, ut quodam famulata paterna voluntatis resurrectio nuntiaretur.*

Ad primum ergo dicendum, quod Apostoli potuerunt testificari Christi resurrectionem etiam de visu: quia Christum post resurrectionem viventem oculata fide viderunt, quem mortuum sciverant. Sed sicut ad visionem beatam pervenitur per auditum fidei; ita ad visionem Christi resurgentis pervenerunt homines per ea quæ prius ab Angelis audierunt.

Ad secundum dicendum, quod ascensio Christi quantum ad terminum à quo non transcendebat hominum communem notitiam, sed solum quantum ad terminum ad quem. Et ideo discipuli potuerunt videre ascensionem Christi quantum ad terminum à quo id est secundum quod elevabatur à terra; non autem viderunt ipsum quantum ad terminum ad quem; quia non viderunt quomodo reciperetur in celo. Sed resurrectio Christi transcendebat communem notitiam & quantum ad terminum à quo, secundum quod anima rediit ab inferis, & corpus de sepulchro clauso exivit, & quantum ad terminum ad quem, secundum quod est adeptus vitam gloriosam. Et ideo non debuit resurrectio fieri sic quod ab homine videretur.

Ad tertium dicendum, quod Lazarus resuscitatus est, ut rediret ad vitam, qualis prius habuerat, quæ communem notitiam hominum non transcendit. Et ideo non est similis ratio.

ARTICULUS III. 304

Virum Christum post resurrectionem debuerit convenire cum discipulis conversari.

III. dist. XXI. quest. 11. art. 3. cor. & dist. XXI. quest. 111. art. 2. quest. 3. corp. & Joan. xx. lect. 6. princ. & cap. XXI. princ.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod Christus post resurrectionem debuerit continere cum discipulis conversari. Ad hoc enim discipulis post resurrectionem apparuit, ut eos de fide resurrectionis certificaret, & consolationem perturbatis afferret, secundum illud Joan.

Joan. xx. 20. *Cœcisi sunt discipuli viso Domino.* Sed magis fuissent certificati, & consolati, si eis continue suam præsentiam exhibuisset. Ergo videtur quod continue cum eis debuerit conversari.

2. Præterea. Christus resurgens à mortuis non statim ascendit in cælum, sed post dies quadraginta, ut habetur Act. 1. Illo autem tempore intermedio in nullo alio loco potuit convenientius esse, quam ubi discipuli ejus erant pariter congregati. Ergo videtur quod continue cum eis conversari debuerit.

3. Præterea. Ipso die resurrectionis domitice quinque Christus apparuisse legitur, ut Augustinus dicit Lib. III. de consensu Evangelistarum (cap. ult. à med.) Primo quidem mulieribus ad monumentum; secundo eisdem regredientibus à monumento in itinere; tertio Petro; quarto duobus discipulis euntibus in castellum; quinto pluribus in Hierusalem, ubi non erat Thomas. Ergo etiam videtur quod & aliis diebus ante suam ascensionem ad minus pluries debuerit apparere.

4. Præterea. Dominus ante passionem eis dixerat Matth. xxvi. 32. *Postquam resurrexero, præcedam vos in Galileam:* quod etiam Angelus, & ipsemet Dominus post resurrectionem mulieribus dixit: & tamen antea in Hierusalem ab eis visus est, & ipso die resurrectionis, ut dictum est (in arg. præc.) & etiam die octavo, ut legitur Joan. xx. Non ergo videtur quod convenienti modo post resurrectionem cum discipulis fuerit conversatus.

Sed contra est quod Joan. xx. 26. dicitur, quod *post dies octo Christus discipulis apparuit.* Non ergo continue conversabatur cum eis.

Respondetur dicendum, quod circa resurrectionem Christi duo erant discipulis declaranda, scilicet ipsa veritas resurrectionis, & gloria resurgentis. Ad veritatem autem resurrectionis manifestandam sufficit quod pluries eis apparuit, & cum eis familiariter est locutus, & comedit, & bibit, & se eis palandum præbuit. Ad gloriam autem resurgentis manifestandam noluit continue conversari cum eis, sicut prius fecerat, ne videretur ad talem vitam resurrexisse, qualem prius habuerat. Unde Luc. ult. 44. *Hæc sunt verba que locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum.* Tunc quidem erat cum eis præsentia corporali, sed ante cum eis fuerat non solum corporali præsentia, sed etiam per similitudinem mortalitatis. Unde Beda prædicta verba exponens (cap. xxvii. in Luc.) dicit, *Con. adhuc essem vobiscum, id est cum adhuc essem in carne mortali, in qua estis & vos.* Tunc quidem in eadem carne resuscitatus erat, sed cum illis in eadem mortalitate non erat.

Ad primum ergo dicendum, quod fe-

quens Christi apparitio sufficiebat ad certifiandum discipulos de veritate resurrectionis. Conversatio autem continua eos potuisset ducere in errorem, ut ad similem vitam eum resurrexisse crederent, quam prius habuerat. Consolationem autem de continua sui præsentia eis in alia vita repropmiserat, secundum illud Joan. xvi. 22. *Iterum videbo vos, & gaudetis cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.*

Ad secundum dicendum, quod Christus non ideo non continue conversabatur cum discipulis, quia reputaret se alibi convenientius esse; sed quia hoc discipulis instruendis convenientius judicabat, si non continue conversaretur cum eis ratione prædicta (in corp.) Incognitum autem est quibus in locis intermedio tempore corporaliter esset, cum hoc Scriptura non tradat, & in omni loco sit dominatio ejus.

Ad tertium dicendum, quod ideo prima die frequentius apparuit, quia per plura indicia erant admonendi, ut à principio fidem resurrectionis reciperent; postquam autem jam receperant, non oportebat eos jam certissimos tam frequentibus apparitionibus instrui. Unde in Evangelio non legitur, quod post primum diem eis apparuerit, nisi quinque. Ut enim August. dicit in Lib. III. de consensu Evang. (cap. ult. à med.) post primas quinque apparitiones sexto eis apparuit, ubi vidit eum Thomas; septimo ad mare Tyberiadis in captione piscium; octavo in monte Galilee, secundum Mattheum; nono, quod dicit Marcus, novissime recumbentibus, quia jam non erant in terra cum illo convivaturi; decimo in ipso die ascensionis, non jam in terra, sed elevatus in nube, cum in cælum ascenderet. Sed non omnia scripta sunt, sicut Joannes fateatur. Crebta enim erat ejus cum eis conversatio, priusquam ascendisset in cælum; & hoc ad consolationem ipsorum. Unde & I. ad Cor. xv. 6. dicitur, quod *visus est plerumque quingentis fratribus simul, deinde visus est Jacobo:* de quibus apparitionibus in Evangelio non habetur mentio.

Ad quartum dicendum, quod Chryostomus exponens illud quod dicitur Matth. xxvi. *Postquam resurrexero, præcedam vos in Galileam,* (hom. lxxxiii. in Matth. ante med.), Non, inquit, in longinquam quamdam regionem, ut eis appareat, vadit, sed in ipsa gente, & in ipsis fere regionibus, bus in quibus cum eo plurimum fuerant conversati; ut & hinc crederent, quoniam qui crucifixus est, ipse est & qui resurrexit. Propter hoc etiam in Galileam se ire dicit, ut à timore Judæorum liberaretur. Sic ergo, ut Ambrosius dicit super Luc. (in fin. comment.), Dominus man-

daverat discipulis, ut in Galilæa eum viderent: sed illis ob metum intra conclave residentibus ipse primum se obtulit (nec hoc est promissæ transgressio, sed potius festinata ex benignitate impletio) postea vero, confirmatis animis, illi Galilæam petierunt.

Vel nihil obstat, si dicamus, pauciores intra conclave, & complures in monte fuisse. Ut enim Eusebius dicit, (hab. in Cat. Div. Thom. sup. illud Luc. ult. *Stetit Jesus in medio &c.*), duo Evangelistæ, scilicet Lucas, & Joannes, solis undecim hunc scribunt apparuisse in Hierusalem; ceteri vero duo in Galilæam properare non solis undecim, sed universis discipulis, & fratribus dixerunt Angelum, & Salvatorem jusse: de quibus & Paulus meminit dicens: Deinde apparuit quinquaginta quingentis fratribus simul.

Est autem verior solutio, quod prius in Hierusalem latitantibus semel aut bis visus est, ad eorum consolationem; in Galilæa vero non clam, aut semel, aut bis, sed eam multa potestare ostensionem sui fecit, præbens se eis viventem post passionem in signis multis, ut Lucas testatur in Actib. (cap. 1.)

Vel sicut dicit Augustinus in Lib. III. de consensu Evang. (cap. ult. ad fin.), quod ab Angelo, & Domino dictum est, quod præcederet eos in Galilæam, propheticæ accipienda est. In Galilæa enim secundum transmigrationis significationem intelligendum occurrit, quod Christi gratia de populo Israel transmigratione erat ad Gentes; quibus Apostoli prædicantes non crederentur, nisi eis ipse Dominus viam in cordibus hominum prepararet; & hoc intelligitur, præcederet vos in Galilæam. Secundum illud autem quod Galilæa interpretatur revelatio, non jam in forma servi intelligendus est; sed in illa in qua æqualis est Patri, quam promissit dilectoribus suis: & illuc præcessit, unde ad nos veniens non recessit, & quo nos præcedens non deseruit.

ARTICULUS IV. 305

Utrum Christus debuerit discipulis in alia effigie apparere.

I. dist. xi. quest. 11. art. 4. quest. 1. ad 3. & op. LX. cap. XXII. fin.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod Christus non debuerit discipulis in alia effigie apparere. Non enim potest apparere secundum veritatem, nisi quod est. Sed in Christo non fuit nisi una effigies. Si ergo Christus in alia effigie apparuit, non fuit apparitio veritatis, sed ficta: quod est inconveniens, quia,

ut Augustinus dicit in Lib. LXXXIII. Q. (quest. xii.), *si fallit Christus, veritas non est: est autem veritas Christus.* Ergo videtur quod Christus non debuerit discipulis in alia effigie apparere.

Præterea. Nihil potest in alia effigie apparere quam habeat, nisi oculi intuitum aliquibus præstigiis detineantur. Hujusmodi autem præstigia, cum fiant magicis artibus, non conveniunt Christo, secundum illud II. ad Corinth. vi. 13. *Que conventio Christi ad Belial?* Ergo videtur quod non debuerit in alia effigie apparere.

Præterea. Sicut per sacram Scripturam nostra fides certificatur; ita discipuli certificati sunt de fide resurrectionis per Christi apparitiones. Sed, sicut Augustinus dicit in epistola ad Hieronymum (implic. epist. vii. cap. 11. parum a princ. & epist. ix. cap. 111.) *si vel unum mendacium in sacra Scriptura recitatur, infirmabitur tota sacra Scriptura auctoritas.* Ergo si vel in una apparitione Christus discipulis apparuit alter quam esset, infirmabitur quicquid discipuli post resurrectionem viderunt in Christo: quod est inconveniens. Non ergo debuit in alia effigie apparere.

Sed contra est quod dicitur Marci ult. 12. *Post hæc duobus ex eis ambulatibus ostensus est in alia effigie eundem in villam.*

Respondeo dicendum, quod, sicut dictum est (art. 1. & 2. huj. quest.) resurrectio Christi manifestanda fuit hominibus per modum quo eis divina revelantur. Innotescunt autem divina hominibus diversimode, secundum quod diversimode sunt affecti. Nam illi qui habent mentem bene dispositam, secundum veritatem divina percipiunt; illi autem qui non habent mentem bene dispositam, divina percipiunt cum quadam confusione dubitatis, vel erroris: animalis enim homo non percipit ea que sunt spiritus Dei, ut dicitur I. ad Corinth. 11. 14. Et ideo Christus quibusdam ad credendum dispositis post resurrectionem apparuit in sua effigie; illis autem in alia effigie apparuit qui jam videbantur circa fidem tepescere: unde dicebant (Lucæ ult. 21.) *Non autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israel.* Unde Gregorius dicit in homil. (xxi. in Evang. ante med.) quod *ralem se exhibuit eis in corpore, qualis apud illos erat in mente: quia enim adhue in eorum cordibus peregrinus erat à fide, ire se longius fuerat, scilicet ac si esset peregrinus.*

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut Augustinus dicit Lib. II. de questionibus Evang. (quest. ult. in princ.) *non omne quod fingimus, mendacium est; sed quanto illud fingimus quod nihil significat, tunc est mendacium; cum autem sitio nostra refertur in aliquam significationem, non est mendacium, sed aliqua figura.*

figura veritatis: alioquin omnia que à sapientibus, & sanctis viciis, vel etiam ab ipso Domino figurate dicta sunt, & mendacia deputabuntur, quia secundum usitatum intellectum non consistit veritas in talibus dictis. Sicut autem dicta, ita etiam finguntur facta sine mendacio, ad aliquam rem significandam. Et ita factum est hic, ut dictum est.

Ad secundum dicendum, quod, sicut Augustinus dicit in Lib. III. de consensu Evang. (cap. xxv. inter princ. & med.) *Dominus poterat transformare carnem suam, ut alia revera esset effigies ab illa quam solebant intueri: quandoquidem & ante passionem suam transformatus est in montem, ut facies ejus clarificeret, sicut Sol. Sed non ita nunc factum est. Non autem incongruenter accipimus, hoc impedimentum in oculis eorum à Satana factum fuisse, ne agnoscerent Jesus.* Unde Luc. ult. 16. dicitur, *quod oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent.*

Ad tertium dicendum, quod ratio illa sequeretur, si ab aliene effigie aspectu non fuissent reduci ad vere videndum Christi effigiem. Sicut enim Augustinus dicit ibidem à Christo facta est permissio, ut scilicet prædicto modo oculi eorum tenerentur, usque ad sacramentum panis; ut unitate corporis ejus participata, removeri intelligatur impedimentum inimici, ut Christus possit agnosci. Unde ibidem subditur, *quod aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum; non quod ante clausi oculi ambularent; sed inerat aliquid, quo non sibi tenebantur agnoscere, quod videbant; quod scilicet saligo, & aliquis humor efficere solet.*

ARTICULUS V. 306

Utrum Christus veritatem resurrectionis debuerit argumentis declarare.

III. dist. XXI. quest. 11. art. 3. & 4. opusc. 11. cap. CCXXXVIII. & opusc. LX.

cap. XXII. opusc. LX.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod Christus veritatem resurrectionis non debuerit argumentis declarare. Dicit enim Ambrosius (Lib. I. de Fide cap. v. ad fin.) *Tolle argumenta ubi fides queritur.* Sed circa resurrectionem Christi queritur fides. Non ergo habent ibi locum argumenta.

Præterea. Gregorius dicit (homil. xxvi. in Evang. in princ.) *Fides non habet meritum, cui humana ratio prebet experimentum.* Sed ad Christum non pertinet meritum fidei evacuare. Ergo ad eum non pertinetbare resurrectionem per argumenta.

Præterea. Christus in mundum venit, ut per eum homines beatitudinem adipiscan-

tur, secundum illud Joan. x. 10. *Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant.* Sed per hujusmodi ostensiones argumentorum videtur humana beatitudini impedimentum præstari: dicitur enim Joan. xx. 29. *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Ergo videtur quod Christus non debuerit per aliqua argumenta resurrectionem suam manifestare.

Sed contra est quod dicitur Act. 1. 3. *quod apparuit discipulis Christus per dies quadraginta in multis argumentis, loquens de regno Dei.*

Respondeo dicendum, quod argumentum dicitur dupliciter. Quandoque dicitur argumentum quæcumque ratio rei debite faciens fidem; quandoque autem dicitur argumentum aliquod sensibile signum, quod inducitur ad alicujus veritatis manifestationem, sicut etiam Aristoteles in libris suis aliquando utitur nomine argumenti; (ut Lib. de Rhetorica ad Alexan. cap. xiv. & xv.) Primo igitur modo accipiendum argumentum, Christus non probavit discipulis suam resurrectionem per argumenta: quia talis probatio argumentativa procedisset ex alicujus principis, quæ si non esset nota discipulis, nihil per ea eis manifestaretur, quia ex ignotis non potest aliquid fieri notum; si autem essent eis nota, non transcederet rationem humanam, & ita non esset efficacia ad fidem resurrectionis aditrandam, quæ rationem humanam excedit: oportet enim principia ex eodem genere assumi, ut dicitur in I. Poster. (text. 20.) Probavit autem eis resurrectionem suam per auctoritatem sacre Scripturæ, quæ est fidei fundamentum, cum dixit: *Oportet impleri omnia que scripta sunt in Lege, & in Prophetis, & in Psalms, & in Prophetis de me, ut habetur Luc. ult. 44.* Si autem accipatur secundo modo argumentum, sic dicitur Christus suam resurrectionem argumentis declarasse, in quantum per quadam evidentiâ signa se vere resurrectisse ostendit. Unde in græco nobis habemus, in multis argumentis, locò argumenti potius rehermonis, quod est signum evidens ad probandum. Quæ quidem signa resurrectionis Christus ostendit discipulis propter duo. Primo quidem quia non erant corda eorum disposita ad hoc quod de facili fidem resurrectionis acciperent. Unde ipse dicit eis Luc. ult. 25. *O stulti, & tardi corde ad credendum: & Marcus ult. 14. exprobat eis illis incredulitatem eorum, & duritiam cordis.* Secundo ut per hujusmodi signa eis ostensa efficacius eorum testimonium redderetur, secundum illud I. Joan. 1. 1. *Quod vidimus, & audivimus, & manus nostra contrectaverunt... hoc testamur.*

Ad primum ergo dicendum, quod Ambrosius ibi loquitur de argumentis secundum rationem humanam procedentibus; quæ invalidi-

valida sunt ad ea quæ sunt fidei ostendenda, sicut ostensum est (in corp. art.)

Ad secundum dicendum; quod meritum fidei est ex hoc quod homo ex mandato Dei credit quod non videt. Unde illa sola ratio meritum excludit quæ facit videri per scientiam id quod credendum proponitur: & talis est ratio demonstrativa. Hujusmodi autem rationes Christus non induxit ad resurrectionem suam declarandam.

Ad tertium dicendum; quod, sicut dictum est (in solut. præc.) meritum beatitudinis, quod causat fides, non totaliter excluditur, nisi homo nollet credere nisi ea quæ videt. Sed quod aliquis ea quæ non videt credat per aliqua signa visa non totaliter fidem evacuat, nec meritum ejus; sicut & Thomas cui dictum est, Joan. xx. 29. *Quia vidiisti me, credidisti, aliud vidit, & aliud credidit: vidit vulnera, & credidit Deum.* Est autem perfectioris fidei qui non requirit hujusmodi auxilia ad credendum. Unde ad arguendum defectum fidei in quibusdam Dominus dicit Joan. iv. 48. *Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis.* Et secundum hoc potest intelligi quod illi qui sunt tam prompti animi ut credant Deo etiam signis non visis, sint beati per comparisonem ad illos qui non credunt, nisi talia vident.

ARTICULUS VI. 307

Utrum argumenta quæ Christus induxit, sufficienter manifestaverint resurrectionem ejus.

Locis sup. art. 5. adductis

AD sextum sic proceditur. Videtur quod argumenta quæ Christus induxit, non sufficienter manifestaverint veritatem resurrectionis ejus. Nihil enim ostendit Christus discipulis post resurrectionem, quod etiam Angeli hominibus apparentes vel non ostenderint, vel ostendere non potuerint: nam Angeli frequenter in humana effigie se hominibus ostenderunt, & cum eis loquebantur, & conversabantur, & comedebant, ac si essent homines veri; sicut patet Gen. xv. 11. de Angelis, quos Abraham suscepit hospitio: & in Lib. Tobie de Angelo qui eum duxit, & reduxit. Et tamen Angeli non habent vera corpora naturaliter sibi unita, quod requiritur ad resurrectionem. Non ergo signa quæ Christus discipulis exhibuit, fuerunt sufficientia ad resurrectionem ejus manifestandam.

2. Præterea, Christus resurrexit resurrectione gloriosa, id est habens simul humanam naturam cum gloria. Sed quædam Christus ostendit discipulis quæ videntur esse contra-

ria naturæ humanæ, sicut quod ab oculis eorum evanuit, & quod ad eos januis clausis intravit; quædam autem videntur esse contraria gloriæ, puta quod manducavit, & bibit, & quod habuit vulnerum cicatrices. Ergo videtur quod illa argumenta non fuerint sufficientia, neque convenientia ad fidem resurrectionis ostendendam.

3. Præterea, Corpus Christi non erat tale post resurrectionem, ut crederetur ab homine mortali: unde & ipse dixit Magdalene Joan. xx. 17. *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum.* Non ergo fuit convenienter quod ad manifestandam veritatem resurrectionis sue se ipsum discipulis palpandum exhiberet.

4. Præterea, Inter dotes glorificati corporis præcipua videtur esse claritas; quam tamen in resurrectione nullo argumento ostendit. Ergo videtur quod insufficientia fuerint illa argumenta ad manifestandam qualitatem resurrectionis Christi.

5. Præterea, Angeli in resurrexerunt induti ex illa dissonantia libvangelicorum insufficienter videntur. Nam apud Mattheum Angelus super lapidem revolutum apud Marcum vero, intus: Angelus describitur visus à mulieribus ingressis monumentum: & rursus ab istis unus, à Joanne cap. xx. duo sedentes, à Luca vero cap. xx. duo stantes describuntur. Inconvenienter ergo videntur testimonia resurrectionis.

Sed contra est quod Christus, qui est Dei sapientia, suaviter, & convenienter disponit omnia, ut dicitur Sap. vii. 17. *Optime*

Respondeo dicendum, quod Christus resurrectionem suam dupliciter manifestavit, scilicet testimonio, & argumento, sive signo: & utraque manifestatio in suo genere fuit sufficienter. Est enim usus duplici testimonio ad manifestandam suam resurrectionem discipulis; quorum neutrum potest refelli: quorum primum est testimonium Angelorum, qui mulieribus resurrectionem annuntiarunt, ut patet per omnes Evangelistas; aliud autem est testimonium Scripturarum, quas ipse proposuit ad ostensionem suæ resurrectionis, ut dicitur Luc. ult. Argumenta etiam fuerunt sufficientia ad ostendendam veram resurrectionem, & gloriosam.

Quod autem fuerit vera resurrectio, ostendit uno modo ex parte corporis: circa quod tria ostendit. Primo quidem quod esset corpus verum, & solidum, non corpus phantasticum, vel rarum, sicut est aer. Et hoc ostendit per hoc quod corpus suum palpabile præbuit: unde ipse dicit Luc. ult. 39. *Palpate, & videte, quia spiritus carum, & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Secundo ostendit quod esset corpus humanum, ostendit

ostendendo eis veram effigiem, quam oculis intrerunt. Tertio ostendit eis quod esset idem numero corpus quod prius habuerat, ostendendo eis vulnerum cicatrices: unde, ut legitur Luc. ult. 39. dixit eis: *Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipse sum.*

Allo modo ostendit eis veritatem suæ resurrectionis etiam per opera iterato corpori unitæ. Et hoc ostendit per opera triplicis vitæ. Primo quidem per opus vitæ nutritivæ in hoc quod cum discipulis manducavit, & bibit, ut legitur Luc. ult. Secundo per opera vitæ sensitivæ in hoc quod discipulis ad interrogata respondere, & præsentis salutari; in quo ostendebat se & videre, & audire. Tertio per opera vitæ intellectivæ in hoc quod eis loquebatur, & de Scripturis diserebat. Et ne quid deesset ad perfectionem manifestationis, ostendit etiam se habere divinam naturam per miraculum, quod fecit in piscibus capiendis, & ulterius per hoc quod eis videntibus ascendit in cælum: quia, ut dicitur Joan. i. 11. 13. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis, qui est in cælo.*

Gloriam etiam suæ resurrectionis ostendit discipulis per hoc quod ad eos januis clausis intravit: secundum enim quod Gregorius dicit in hom. (xxvi. in Evang. parum à princ.) *Palpandum carnem Dominus præbuit, quam januis clausis intravit, ut esse post resurrectionem ostenderet corpus suum & ejusdem naturæ, & alterius gloriæ.* Similiter etiam ad proprietatem gloriæ pertinebat, quod subito ab oculis eorum evanuit, ut dicitur Luc. ult. quia per hoc ostendebatur quod in potestate ejus erat videri, & non videri: quod pertinet ad conditionem corporis gloriosi, ut supra dictum est (quæst. l. v. art. 1. ad 2. & art. 3. ad 1.)

Ad primum ergo dicendum, quod licet singula argumentorum non sufficienter ad manifestandam perfectè Christi resurrectionem; tamen omnia simul accepta perfectè Christi resurrectionem manifestant, maxime propter Scripturæ testimonium, & Angelorum dicta, & etiam ipsius Christi assertionem miraculis confirmatam. Angeli autem apparentes non asserant se homines esse, sicut asseruit Christus vere se hominem esse. Et tamen aliter Christus manducavit, & aliter Angeli. Nam quia corpora ab Angelis assumpta non erant corpora viva, vel animata, non erat vera comestio, licet esset vera cibi contritio, & transitio in interiorem partem corporis assumpti: unde & Angelus dixit Tobie xii. 18. *Cum essem vobiscum... videbam quidem vobiscum manducare, & bibere, sed ego ipse invisibilis ero.* Sed quia corpus Christi vere fuit animatum, vera fuit ejus comestio. Ut enim Augustinus dicit in XIII. de Civit. Dei (cap. xx. 1. in fin.) *non potest, sed egesset edendi*

corporibus resurgentium aseretur. Unde, sicut Beda dicit (cap. xxvii. in Luc.) *Christus manducavit potestate, non egesset.*

Ad secundum dicendum, quod, sicut dictum est (in corp. art.) argumenta quædam inducebantur à Christo ad probandam veritatem humanæ naturæ, quædam vero ad probandam gloriam resurgentis. Condicio autem naturæ humanæ, secundum quod in se consideratur, quantum scilicet ad statum præsentem, contrariatur conditioni gloriæ, secundum illud I. ad Cor. xv. 43. *Seminatur in infirmitate, surgit in virtute.* Et ideo ea quæ inducuntur ad ostendendam conditionem gloriæ, videntur habere contrarietatem ad naturam, non simpliciter, sed secundum statum præsentem; & id converso. Unde Gregorius dicit in hom. (xxvi. in Evang. paulo à princ.) quod duo mira, & juxta humanam rationem sibi valde contraria. Dominus, minus ostendit, dum post resurrectionem, corpus suum, & incomprensibile, & tamen palpabile demonstravit.

Ad tertium dicendum, quod, sicut Augustinus dicit super Joan. (tracl. cxxi. à med.) *Hoc quod Dominus dixit: Noli me tangere, nunc ascendit ad Patrem meum, sic dictum est, ut in illa femina figuratur Ecclésiæ de gentibus, quæ in Christo non credit, nisi cum ascendisset ad Patrem.* Aut sic in se crediti voluit, Jesus, hoc est sic se spiritualiter tangi, quod ipse, & Pater unum sunt: ejus quippe in istis sensibus quodammodo ascendit ad Patrem, qui sic in eo profecerat, ut Patri agnoscat æqualem. Hæc autem carnaliter adhuc in eum credebatur, quem sicut hominem sebat. Quod autem Maria alibi legitur Christum retigisse, quando simul cum aliis mulieribus accessit, & tenuit pedes ejus, quæstionem non facit, ut Severianus dicit (id hab. Chrysol. serm. lxxvi. à med.) *Siquidem illud de figura est, hoc de sexu; illud de divina gratia, hoc de humana natura.* Vel sicut Chrysolomus dicit (hom. lxxv. in Joan. ante med.) *Volebat hæc mulier adhuc cum Christo conversari, sicut & ante passionem, nem, & præ gaudio nihil magnum cogitabat quamvis caro Christi multo melior facta fuerit resurgendo. Et ideo dixit: Nondum ascendi ad Patrem meum, quasi dicat, non aestimes me jam terrenam vitam agere, quod enim in terris me vides, hoc est quia nondum ascendi ad Patrem meum, sed in promptu est quod ascendam. Unde subdit: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum.*

Ad quartum dicendum, quod, sicut Augustinus dicit in Dialogo ad Orosum (q. xiv.) Clarificata carne Dominus resurrexit, sed non, sicut in ea clarificatione discipulis suis apparere

quia non possent oculis suis talem claritatem perspicere. Si enim antequam moreretur pro nobis, & resurgeret, quando transfiguratus est in monte, discipuli sui cum videre non poterunt, quanto magis glorificata carne Domini eum videre non poterunt? Est etiam considerandum, quod post resurrectionem Dominus hoc precipue volebat ostendere quod idem ipse esset qui mortuus fuerat; quod multum poterat impedire, si eis sui corporis claritatem ostenderet: nam immutatio quæ sit secundum aspectum, maxime ostendit diversitatem ejus quod videtur: quia sensibilia communia, inter que est unum, & multa, vel idem, & diversum, maxime dicitur visus. Sed ante passionem, ne infirmitatem passionis ejus discipuli despicerent, intendebat Christus eis gloriam majestatis suæ ostendere, quæ maxime demonstrat claritas corporis. Et ideo ante passionem gloriam suam demonstravit discipulis per claritatem, post resurrectionem autem per alia iudicia.

Ad quintum dicendum, quod, sicut Augustinus dicit in Lib. III. de consensu Evangelii (cap. xxiv.), Possimus intelligere unum Angelum visum à mulieribus, secundum Mattheum, & Marcum, ut eas ingrederas, in monumentum accipiamus, in aliquo scilicet spatium, quod erat aliqua maceria communium, atque ibi vidisse Angelum, sedentem supra lapidem revolutum à monumento, sicut dicit Mattheus; ut hoc sit, sedentem à dextris, quod dicit Marcus; deinde dum introspicerent locum, in quo jacuerat corpus Domini, visos ab eis alios duos Angelos, primo quidem sedentes; ut dicit Joannes, & postea eos surrexisse, ut stantes viderentur, ut dicit Lucas.

QUESTIO LVI.

De Resurrectione Christi causalitate,

in duos articulos divisa.

D E inde considerandum est de causalitate Resurrectionis Christi: & circa hoc quaeruntur duo.

Primo, utrum resurrectio Christi sit causa nostræ resurrectionis.

Secundo, utrum resurrectio Christi sit causa nostræ justificationis.

Ad primum dicendum, quod resurrectio Christi non est causa nostræ resurrectionis, sed est causa nostræ justificationis. Quia resurrectio Christi non est causa nostræ resurrectionis, sed est causa nostræ justificationis. Quia resurrectio Christi non est causa nostræ resurrectionis, sed est causa nostræ justificationis.

Ad secundum dicendum, quod resurrectio Christi non est causa nostræ justificationis, sed est causa nostræ resurrectionis. Quia resurrectio Christi non est causa nostræ justificationis, sed est causa nostræ resurrectionis.

ARTICULUS I.

Utrum resurrectio Christi sit causa resurrectionis corporum.

IV. dist. XLIII. art. 2. quæst. 1. & IV. cont. cap. LXXX. & ver. quæst. XXVIII. art. 3. ad 7. & opusc. 11. cap. CCXXVI. & opusc. LX. cap. XXII. & I. Cor. xv. lect. 1.

AD primum sic proceditur. Videtur quod resurrectio Christi non sit causa resurrectionis corporum. Posita enim causa sufficienti, necesse est effectum poni. Si ergo resurrectio Christi est causa sufficientis resurrectionis corporum, statim eo resurgente omnes mortui resurgere deberent.

2. Præterea. Causa resurrectionis mortuorum est divina justitia, ut scilicet corpora simul præmientur, vel puniantur cum animabus, sicut communicaverunt in merito, vel peccato, ut dicit Dionysius ult. cap. cælest. Hierar. (à med.) & etiam Damascenus dicit in IV. lib. (orth. Fid. cap. xxviii. parum à princ.) Sed justitiam Dei necesse est impleri, etiam si Christus non resurrexisset. Ergo etiam Christo non resurgente, mortui resurgerent. Non ergo resurrectio Christi est causa resurrectionis corporum.

3. Præterea. Si resurrectio Christi sit causa resurrectionis corporum, aut esset causa exemplaris, aut causa effectiva, aut meritoria. Sed non est causa exemplaris: quia resurrectionem corporum Deus operabitur, secundum illud Joann. v. 21. Sicut Pater suscitavit mortuos; Deus autem non indiget inspicere ad aliquod exemplar extra se. Similiter etiam non est causa effectiva: quia causa efficiens non agit nisi per contactum, vel spirituales, vel corporales. Manifestum est autem quod resurrectio Christi non habet contactum corporalem ad mortuos, qui resurgent, propter distantiam temporis, & loci; similiter etiam nec contactum spirituales, quia est per fidem, & caritatem, quia etiam infideles, & peccatores resurgent. Neque etiam est causa meritoria: quia Christus resurgens jam non erat viator, & ita non erat in statu merendi: & ita nullo modo resurrectio Christi videtur esse causa nostræ resurrectionis.

4. Præterea. Cum mors sit privatio vite, nihil videtur esse aliud destruere mortem quam reducere vitam; quod pertinet ad resurrectionem. Sed Christus moriendo mortem nostram destruxit. Ergo mors Christi est causa nostræ resurrectionis. Non ergo ejus resurrectio.

Sed contra est quod super illud I. ad Cor. xv. Si Christus predicatur quod resurrexit à mortuis, & dicit Glossa (interl.), Qui est causa efficiens resurrectionis nostræ.

Ref.

Respondeo dicendum, quod illud quod est primum in quolibet genere, est causa omnium quæ sunt post, ut dicitur in II. Metaph. (text. 4.) Primum autem in genere veræ resurrectionis fuit resurrectio Christi, sicut ex supra dictis patet (q. LIII. art. 3.) Unde oportet quod resurrectio Christi sit causa nostræ resurrectionis: & hoc est quod Apostolus dicit I. Corinth. xv. 20. Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium: quoniam quidem per hominem inori, & per dominem resurrectio mortuorum. Et hoc rationabiliter: nam principium humanæ vivificationis est Verbum Dei, de quo dicitur in Psalm. xxxv. 10. Apud se est fons vite: unde & ipse dicit Joann. v. 21. Sicut Pater suscitavit mortuos, & vivificavit, sic & Filius quos vult vivificat. Habet autem hoc naturalis ordo rerum divinitus institutus ut quælibet causa primo operetur in id quod est sibi propinquius, & per illud operetur in alia magis remota; sicut ignis primo calefacit aërem sibi propinquum, per quem calefacit corpora distantia: & ipse Deus primo illuminat substantias sibi magis propinquas, per quas illuminat magis remotas, ut Dionysius dicit xlv. cap. cælest. Hierar. (parum à princ.) Et ideo Verbum Dei primo tribuit vitam immortalē corpori sibi naturaliter unito, & per ipsum operatur resurrectionem in omnibus aliis.

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut dictum est (in corp. art.) resurrectio Christi est causa nostræ resurrectionis per virtutem Verbi uniti: quod quidem operatur secundum voluntatem. Et ideo non oportet quod statim sequatur effectus, sed secundum dispositionem Verbi Dei, ut scilicet primo conformemur Christo patienti, & morienti in hac vita passibili, & mortali; deinde perveniamus (a) ad participandum similitudinem resurrectionis ipsius.

Ad secundum dicendum, quod justitia Dei est causa prima resurrectionis nostræ; resurrectio autem Christi est causa secundaria, & quasi instrumentalis. Licet autem virtus principalis agentis non determinetur ad hoc instrumentum determinate; tamen ex quo per hoc instrumentum operatur, instrumentum illud est causa efficiens. Sic ergo divina justitia, quantum est de se, non est obligata ad resurrectionem nostram causandam per resurrectionem Christi: potuit enim alio modo nos Deus liberare quam per Christi passionem, & resurrectionem, ut supra dictum est (quæst. xlv. art. 2. & 3.) Ex quo tamen decrevit hoc modo nos liberare, manifestum est quod resurrectio Christi est causa nostræ resurrectionis.

Ad tertium dicendum, quod resurrectio Christi non est proprie loquendo, causa meritoria nostræ resurrectionis, sed est causa efficiens, &

S. Thom. Op. Tom. V.

(a) Ita cum in s. Torrac, Alcan, & Paris, edis, passim, Al. ad percipiendum.

exemplaris. Efficiens quidem, in quantum humanitas Christi, secundum quam resurrexit, est quodammodo instrumentum divinitatis ipsius, & operatur in virtute ejus, ut supra dictum est (quæst. xlv. art. 2. & 3.) Et ideo sicut alia quæ Christus in sua humanitate fecit, vel passus est, ex virtute divinitatis ejus sunt nobis salutaria, ut supra dictum est (quæst. xlv. art. 6.) ita & resurrectio Christi est causa efficiens nostræ resurrectionis virtute divina, cujus proprium est mortuos vivificare: quæ quidem virtus præsentialiter attingit omnia loca, & tempora: & talis contactus virtualis sufficit ad rationem hujus efficientiæ. Et quia, ut dictum est (in solut. præc.) primordialis causa resurrectionis humana est divina justitia, ex qua Christus habet potestatem iudicium facere, in quantum filius hominis est; virtus effectiva resurrectionis ejus se extendit non solum ad bonos, sed etiam ad malos, qui sunt ejus iudicio subiecti. Sicut autem resurrectio corporis Christi, ex eo quod corpus illud est personaliter Verbo unitum, est prima tempore; ita etiam est prima dignitate, & perfectione, ut dicit Glossa I. ad Corinth. xv. (interl. sup. illud, Primitiæ Christi.) Semper autem id quod est perfectissimum, est exemplar ejus quod est minus perfectum secundum suum modum. Et ideo resurrectio Christi est causa exemplaris nostræ resurrectionis: quod quidem necessarium est, non ex parte resuscitantis, qui non indiget exemplari, sed ex parte resuscitatorum, quos oportet illi resurrectioni conformari, secundum illud Philipp. 11. 21. Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis sue. Licet autem efficientia resurrectionis Christi se extendat ad resurrectionem tam bonorum, quam malorum; exemplaritas tamen ejus se extendit proprie solum ad bonos, qui sunt facti conformes similitudinis ipsius, ut dicitur Rom. viii.

Ad quartum dicendum, quod secundum rationem efficientiæ, quæ dependet ex virtute divina, communiter tam mors Christi, quam etiam resurrectio, est causa tam destructionis mortis, quam reparationis vite; sed secundum rationem exemplaritatis mors Christi, per quam recessit à vita mortali, est causa destructionis mortis nostræ; resurrectio vero ejus, per quam inchoavit vitam immortalē, est causa reparationis vite nostræ. Passio tamen Christi est insuper causa meritoria, ut supra dictum est (quæst. xlv. art. 1.)

Qq 2

AR 4

ARTICULUS II. 309

Utrum resurrectio Christi sit causa resurrectionis animarum.

Locis sup. art. 1. notatis.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod resurrectio Christi non sit causa resurrectionis animarum. Dicit enim Augustinus super Jo. ann. (tract. xx. 1. ante med.) quod corpora resurgunt per dispensationem humanam, sed anime resurgunt per substantiam Dei. Sed resurrectio Christi non pertinet ad substantiam Dei, sed ad dispensationem humanam. Ergo resurrectio Christi non sit causa resurrectionis corporum, non tamen videtur esse causa resurrectionis animarum.

Præterea. Corpus non agit in spiritum. Sed resurrectio Christi pertinet ad corpus eius, quod cecidit per mortem. Ergo resurrectio Christi non est causa resurrectionis animarum.

Præterea. Quia resurrectio Christi est causa resurrectionis corporum, omnium corpora resurgunt, secundum illud I. ad Corinth. xv. 51. Omnes quidem resurgemus. Sed non omnium anime resurgunt: quia quidam ibunt in supplicium æternum, ut dicitur Matth. xxv. 46. Ergo resurrectio Christi non est causa resurrectionis animarum.

Præterea. Resurrectio animarum fit per remissionem peccatorum. Sed hoc factum est per Christi passionem, secundum illud Apoc. 1. 5. Lavimus te a peccatis nostris in sanguine suo. Ergo resurrectio animarum magis est causa Christi passio quam eius resurrectio.

Sed contra est quod Apostolus dicit Rom. 1v. 25. Resurrexit propter justificationem nostram, quæ nihil aliud est quam resurrectio animarum: & super illud Psalm. cxix. Ad vesperum demorabitur fetus, dicit Glossa quod, resurrectio Christi est causa resurrectionis nostræ, & anime in præsentem, & corporis in futuro.

Respondetur dicendum, quod, sicut dictum est (art. præc. ad 3.) resurrectio Christi agit in virtute divinitatis: quæ quidem se extendit non solum ad resurrectionem corporum, sed etiam ad resurrectionem animarum: à Deo enim est, & quod anima vivat per gratiam, & quod corpus vivat per animam. Et ideo resurrectio Christi habet instrumentaliter virtutem effectivam, non solum respectu resurrectionis corporum, sed etiam respectu resurrectionis animarum. Similiter etiam habet rationem exemplariatis respectu resurrectionis animarum: quia Christo resurgenti debemus etiam secundum animam conformari, ut sicut secun-

[a] Al. cum illo. Hæc posterior appendix implicite variis Apostoli locis continetur.

dum Apostolum Rom. vi. 4. Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris; ita & nos in novitate vite ambulemus: & sicut ipse resurgens ex mortuis jam non moritur; ita & nos existimemus nos mortuos esse peccato, ut iterum vivamus (a) in illo.

Ad primum ergo dicendum, quod Augustinus dicit, resurrectionem animarum fieri per Dei substantiam, quantum ad participationem, quia scilicet participando divinam bonitatem anime fiunt bone, & iustæ, non autem participando quamcumque creaturam. Unde cum dixisset: Anime resurgunt per substantiam Dei, subdit: Participazione enim Dei fit anima beata, non participatione anime sancte. Sed participando gloriam Corporis Christi, efficiuntur corpora nostra gloriosa.

Ad secundum dicendum, quod efficientia resurrectionis Christi pertingit ad animas, non per propriam virtutem ipsius corporis resurgentis, sed per virtutem divinitatis, cui personaliter unitur.

Ad tertium dicendum, quod resurrectio animarum pertinet ad meritum, quod est effectus justificationis; sed resurrectio corporum ordinatur ad penam, vel præmium, quæ sunt effectus iudicantis. Ad Christum autem non pertinet iustificare omnes, sed iudicare, & ideo omnes resuscitat secundum corpus, sed non omnes secundum animam.

Ad quartum dicendum, quod in justificatione animarum duo concurrunt, scilicet remissio culpæ, & novitas vitæ per gratiam. Quantum ergo ad efficientiam, quæ est per virtutem divinam, tam passio Christi, quam resurrectio est causa justificationis quoad utrumque. Sed quantum ad exemplaritatem proprie passio, & mors Christi est causa remissionis culpæ, per quam morimur peccato; resurrectio autem Christi est causa novitatis vitæ, quæ est per gratiam sive iustitiam: & ideo Apostolus dicit Rom. 1v. 25. quod traditus est, scilicet in mortem, propter delicta nostræ, scilicet tollenda; & resurrexit propter justificationem nostram. Sed passio Christi est etiam causa meritoria, ut dictum est (art. præc. ad 4.)

QUÆS.

QUÆSTIO LVII.

De Ascensione Christi,

in sex articulos divisa.

Deinde considerandum est de Ascensione Christi: & circa hoc queruntur sex.

Primo, utrum fuerit conveniens Christum ascendere.

Secundo, secundum quam naturam conveniat sibi ascensio.

Tertio, utrum propria virtute ascenderit.

Quarto, utrum ascenderit super omnes cælos corporeos.

Quinto, utrum ascenderit super omnes spirituales creaturas.

Sexto, de effectu ascensionis.

ARTICULUS I. 310

Utrum fuerit conveniens Christum ascendere.

III. dist. xxii. quæst. 111. art. 1. & opusc. 11. cap. cxxl. & opusc. Lx. cap. xxiiii. princ.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod non fuerit conveniens Christum ascendere. Dicit enim Philosophus in II. de celo (text. 65. & 66.) quod illa quæ optimo modo se habent, possident suum bonum sine motu. Sed Christus optime se habuit: quia & secundum divinam naturam est summum bonum, & secundum humanam naturam est summe gloriosus. Ergo suum bonum habet sine motu. Sed ascensio est quidam motus. Ergo non fuit conveniens quod Christus ascenderet.

Præterea. Omne quod movetur, movetur propter aliquid melius. Sed Christo non fuit melius esse in Cælo quam in terra: nihil enim accrevit sibi per hoc quod fuit in cælo, neque quantum ad animam, neque quantum ad corpus. Ergo videtur quod Christus non debuerit in cælum ascendere.

Præterea. Filius humanam naturam assumpsit ad nostram salutem. Sed magis fuisset salutare hominibus quod semper conversaretur nobiscum in terris: unde ipse dixit discipulis suis Luc. xvii. 22. Veniet dies, quando desideris videre unum diem Filii hominis, & non videbitis. Videtur ergo quod non fuerit conveniens Christum ascendere in cælum.

Præterea. Sicut Gregorius dicit XIV. Moral. (cap. xxix.) corpus Christi in nullo mutatum fuit post resurrectionem. Sed non immediate post resurrectionem ascendit in cælum: quia ipse dicit post resurrectionem Joan-

xx. 17. Nondum ascendi ad Patrem meum. Ergo videtur quod nec post quadraginta dies ascendere debuerit.

Sed contra est quod Dominus dicit Joann. xx. 17. Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum.

Respondetur dicendum, quod locus debet esse proportionatus locato. Christus autem per resurrectionem vitam immortalam, & incorruptibilem inchoavit. Locus autem in quo nos habitamus, est locus generationis, & corruptionis; sed locus cælestis est locus incorruptionis. Et ideo non fuit conveniens quod Christus post resurrectionem remaneret in terris; sed conveniens fuit quod ascenderet in cælum.

Ad primum ergo dicendum, quod illud optime se habens, quod sine motu possidet suum bonum, est ipse Deus, quia est omnino immutabilis, secundum illud Malac. 1. 11. 6. Ego Dominus, & non mutator. Quilibet autem creatura est mutabilis aliquo modo, ut patet per Augustinum VIII. super Gen. ad lit. (cap. xiv.) Et quia natura assumpta à Filio Dei remansit creatura, ut patet ex his quæ supra dicta sunt (quæst. 11. art. 1. & art. 7. ad 1.) non est inconveniens, si ei aliquis motus attribuat.

Ad secundum dicendum, quod per hoc quod Christus ascendit in cælum, nihil ei accrevit quantum ad ea quæ sunt de essentia gloriæ sive secundum corpus, sive secundum animam; tamen accrevit aliquid quantum ad loci decentiam, quod est ad bene esse gloriæ; non quod corpus eius aliquid aut perfectionis, aut conservationis acquireret ex corpore cælesti; sed solummodo propter quamdam decentiam. Hoc autem aliquo modo pertinebat ad ejus gloriam: & de hac decentia gaudium quoddam habuit, non quidem quod tunc de novo de hoc gaudere inciperet, quando in cælum ascendit, sed quia novo modo de hoc gavisus est, sicut de re impleta. Unde super illud Psalm. xv. Delectationis in dextera tua usque ad finem, dicit Glossa (ord. implic.) Delectatio, & lætitia erit mihi in consensu tuo, humanis obtutibus substracto.

Ad tertium dicendum, quod licet presentia corporalis Christi fuerit subtrahenda fidelibus per ascensionem, presentia tamen divinitatis ipsius semper adest fidelibus, secundum quod ipse dicit Mat. ult. 20. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Qui enim ascendit in cælos non deservit adoptatus, ut Leo Papa dicit (serm. 11. de Resurrect. cap. 111. in fin.) Sed ipsa ascensio Christi in cælum, qua corporalem suam presentiam nobis subtraxit, magis fuit utilis nobis quam presentia corporalis fuisset. Primo quidem propter fidei augmentum, quæ est de non visis. Unde ipse Dominus dicit discipulis suis

Joan.